

tissimè elaborata , aut latrunculos lusorios , aut bombardulas
 ligneas viginti qvinq; , torno itidem elaboratas , & curribus im-
 positas , omniq; supellectile bellicâ necessariâ instructas , unâ
 cum triginta calculis , mediocri piperis grano excavato indidiisse ,
 qvod passim videt stupetq; Germania atq; Italia : (21.) nihilomi- 21.
 nus tamen horum aliorumq; minutissimorum torevmatum sub-
 tilissimum artificium multis parasangis superat Microscopium ,
 qyippe qvod multa corpora , qvæ omni vitâ & animâ de stituta
 esse hucusq; creditum est , vivere docet , qvod invisibilia visibi-
 lia reddit , obscura & confusa clarè & distinctè repræsentat , è
 muscâ fermè elephantem facit , maximam deniq; DEI poten-
 tiam in minimis sapientissimè ludentem stupentibus inspestan-
 tium animis prodit . (22.) 22.

In efficiendis autem his præ aliis excelluerunt *Manfredus Sep-*
tala , *Mediolanensis Canonicus* , *Eustachius Divini* , atq; *Hookius* ,
 cujus *Micrographiam* qui legerit , ille Angliæ in hoc artificii gene-
 re palmam hactenus deberi non invitus fatebitur . Cuspis enim
 acûs alicujus subtilissimæ , aliàs imperceptibilis ferè , apparuit
Hookio per Microscopium suum tam lata , qvàm qvarta pars unius
 digitie est . Acies novaculæ benè acutæ tanquam dorsum cani-
 num observata est , subtilissimæ telæ crasitie chordas adæqua-
 runt . Vilius nihil est , qvàm pediculus , ratio tamen qvâ repræ-
 sentatus *Hookio* fuit per Microscopium , tam est notatu digna ,
 qvàm horridum est aspectu insectum ipsum , qyippe qvod sesqui-
 pedalem excedit longitudinem . Nihil autem impensiùs admi-
 randum est , qvàm illud , qvod de Situ confirmat ingeniosissimus
 author ; testatur siqvidem , cùm maculam aliquam Sitùs , qvæ in
 libri involucro erat , per Microscopium aspexisset , se distinctè
 observâsse , eam nihil aliud , qvàm conglomeratam qvandam
 variorum florū è rubicundis caulis diversimodè efflorescen-
 tiū multitudinem esse . Ut plura alia stupenda phænomena ,
 in *Ephemeridibus Gallorum* prolixius excerpta , brevitatis studio
 nunc negligam . (23.) 23.